QUID DE FATO SENSERINT

JUDAEI ET GRAECI, „JOBO“ ET SOPHOCLI „PHILOCTETE“

PROBATUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QVAM SCRIPSIT

ET

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

OBTINENDOS AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM ROSTOCHIENSI

PROPOSUIT

A. VOGEL,

CAND. PHIL. ET THEOL.

GRIPHISWALDIAE.

TYPIS FRIDERICI HACHE.

MDCCCLXIX.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41553622_0114

Inter veteris Testamenti libros peculiarem locum tenet liber Jobi. Praestat ceteris, qui aliquam doctrinam proferunt, quod de summis et gravissimis rebus agit. Est enim tamquam apologia sive defensio dei, qui malo et dolore homines justos non minus quam injustos affligat vel affligi permittat. Cujus rei quae sit causa et quid sibi deus proposuerit, liber Jobi, si non diserte patefacit, at splendido exemplo illustrat.

Jam inde, quam ipsius numinis divini et notionem et cum hominibus rationem sibi finxerint Hebraei, commode colligere licet.

Quid autem utilius esse potest, quam sententiam Hebraeorum coelitus revelatam cum eis conferre, qui sola humanae mentis luce ducti de divino numine haud inepte senserunt? Graecos dico, antiquitatis illum populum, quo nullus alius de rebus divinis et humanis aut melius aut altius cogitavit. Placet igitur Graecorum de hac re sententiam cum Hebraeis ita comparare, ut quantum inter se dissentiant, quantumque conveniant, lucidius appareat. Adjuvat, quod Graecorum quoque poëta clarrissimus fabulam conscripsit, quae similem atque liber Jobi, rationem sequi videtur. Jam cui non in mentem venit Sophocli „Philoctetes“, quem „Jobum Graecorum“ haud injuria vocant? Jam primum fabulam utriusque poëmatis exponemus, quas esse

simillimas satis apparebit. Rex fuit in regione Husa, Jobus nomine, qui integer, probus, religiosus, a maleficiis abhorrens erat. Cui septem filii, filiae tres sunt natae, et bona ejus erant tanta, ut omnium locupletissimus Arabum praedicaretur. Cumque liberi quotidie ad convivia agenda convenirent, Jobus, fieri potuisse cogitans, ut animo maledicerent deo, mane immolabat. Accidit autem die quodam, ut filii dei conveniant, in quibus satanas surgit et quaerente Jova verbis malignis Jobi pietatem in suspicionem vocare conatur, id secum molitus, ut justum illum virum a deo seduceret, seductumque ad suas traduceret partes. Cujus satanae consilii deus optimus haud nescius quamvis annuat, aliud tamen secum volvit. Satanas consilium suum persequens, Jobum omnibus, quae ei cordi sunt, rebus spoliat; attamen his casibus, quum Jobi remissum et tranquillum animum flectere non potuerit, iterum deum adit, ut totum in suam potestatem det Jobum Atque tradit tandem deus: nedum vitam ejus tangat. Tunc coelo delapsus satanas Jobi corpus a planta ad verticem tam diris ulceribus afficit, ut ille sumpta testa sese scabat sedens in medio pulvere. Verum tantum abest, ut satanas, quod sibi proposuerat, assecutus sit, ut Jobus tentante insuper uxore, his respondeat verbis: „scilicet acceperimus bona, mala non accipiemus?"

Quam opum fortunam adversam audivissent Eliphas, Bildadus, Sophar, Jobi amici, ad eum consolandum venerunt. Ac procul amicum conspicati discissa sua quisque toga et pulvere in capita jacto per septem dies sederunt aqud eum nemine quidquam dicente, priusquam Jobus non tam corporis quam animi vehementissimis doloribus vexatus diem suum natalem detestatur atque exsecratur. Jam enim, quum ex vultibus eorum se ab iis damnari perceperit, altercatio inter tres illos amicos et Jobum oritur; sed, quae est eorum sententia de bonorum et malorum caussa, Jobum non modo consolari non possunt, sed facinora

insuper sceleraque ob quae tam graviter a deo sit afflictus, ei exprobrent necessse est. Sententia enim amicorum Jobi haec fere est: peccata et mala tamquam ad trutinam inter se pendi; ergo esse hominem non magis bonum quam beatum. Sin vero quis rebus adversis se innocentem esse dicat, eum culpam suam dissimulare et pietatis speciem temere prae se ferre. Itaque Jobum gravissime affectum foedissimis sceleribus pollutum esse opinantur.

Etsi Jobus omnibus rebus amissis, liberis mortuis demisse pieque exclamaverat: „deus dedit, deus idem abstulit, dei nomini gratiae agantur“, neque quidquam in deum inepte egerat; tamen, quum amici integritatem atque innocentiam ejus in dubium vocent, quod summum bonum nominat, quamque vita pluris eum aestimare his verbis cognosci potest: „innocentiam meam tenebo, nec remittam: neque unquam, donec vivam, mihi mens erit irreligiosa,“ tum saevit contra homines et deum, qui auctor sit et mali et calumniae suae. Quin etiam eo procedit, ut confirmet, deum esse non modo amicum patronumque hominum pravorum, quibus omnem terram tradiderit, verum etiam tyrannum atque inimicum bonorum, quos aeque ac sontes conterat; si verberando confestim interfecerit, innocentium pericula deridere illum!“

Quamquam tantummodo calumniis amicorum impellitur, ut tam scelerosa verba edat; nam animo magis magisque placato non maledicit deo; immo, quum amici desinant arbitros dei sese gerere, in haec verba erumpit Jobus: „dei metum esse sapientiam, prudentiam a maleficio abhorrere.“ Jam tonitru procul strepitante Jova ipse ex turbine Jobum alloquitur. Majestatem suam sapientiamque et natura et animalibus comprobatam, hominum inanitatem atque ignorantiam magnificis verbis ostendit, amicorum sermones vehementer vituperat, Jobi inscientiam et audaciam ignoscit. Quibus Jovae verbis fractus atque perculsus Jobus, se contra deum injuriarum ex intimo pectore poenitere professus,

quum dicat: „qui te prudenter orbem regere negat, imperitus est; itaque, quae ego exposui, non intelligebam, et majora sunt, quam pro meo captu, miracula; ipse mihi displiceo, meque humi in pulvere poenitet," deo jubente pro amicis, qui male rem gesserint, deprecatur; ipse ex morbo restitutus, quaecunque antea rebus adversis amiserat, conduplicata a deo recuperat.

Eadem fere fortuna, qua' Jobus, Sophocli Philoctetes utitur.

Is enim fuit Poeantis, regis Maliaci, filius et probitate et auctoritate praeditus, quare chorus de eo praedicat:

[v. 180.] „οὗτος πρωτογόνων γεγὼς
„οἴκων, οὐδενὸς ὕστερος·".

eundemque fortissimum, praecipue fuisse insignem arcu ab Hercule moriente accepto Homerus verbis illis Ulixei confirmat: [Od. VIII. 219.]

„οἶος δή με Φιλοκτήτης ἀπεκαίνυτο τόξῳ
„δήμῳ ἔνι Τρώων."

Quae virtutes satis demonstrant, Philoctetem non minus diis gratum atque acceptum fuisse, quam Jobum. At quem dii amant, eum castigant: armatus arcu Herculis, qui nunquam a scopo aberrabat, cum septem navibus particeps est expeditionis illius Trojanae. Appulsus autem ad Chrysen insulam temere altare nymphae ejusdem nominis adit, quapropter draco, custos altaris pede eum vulnerat. Insanabili jam vulnere ictum, omnia longe lateque odore foetido implentem, clamore miserabili et lamentationibus sacra officia perturbantem Ulixes, homo versutissimi ingenii, Agamemnonis et Menelaï, ducum jussu in insula Lemno dormientem exponit; naves ejus cum classe Graecorum Trojam proficiscuntur. Quantis periculis oblatus, quantis doloribus vexatus sit, ab omnibus relictus ipse verbis maxime miserabilibus describat: [v. 287, sqq.]

„γαστρὶ μὲν τὰ σύμφορα
„τόξον τόδ' ἐξεύρισκε, τὰς ὑποπτέρους
„βάλλον πελείας· πρὸς δὲ τοῦθ', ὅ μοι βάλοι
„νευροσπαδὴς ἄτρακτος, αὐτὸς ἂν τάλας
„εἰλυόμην, δύστηνον ἐξέλκων πόδα."
[v. 311, sqq.:] „ἀπόλλυμαι τάλας
„ἔτος τόδ' ἤδη δέκατον ἐν λιμῷ τε καὶ
„κακοῖσι βόσκων τὴν ἀδηφάγον νόσον·"

Decimo tandem anno auxilium a Jove destitutum venit. Oraculum enim ediderat, si Paris, belli auctor, Philoctetis arcu interfectus esset, Neoptolemi opera Trojam tandem captum iri. Itaque quum Achilles a Paride victus et interemptus sit, Graeci Ulixem cum Neoptolemo ad Philoctetem ejusque arcum arcessendum Lemnum mittunt. Ulixes autem, haud ignarus, quantum sit in ipsum Philoctetis odium, dolo arcum in suam potestatem redigere conatur. Navi igitur egressus cum Neoptolemo consilia sua callida communicat, ut Philoctetem, quem se in patriam reducturum esse simulet, Trojam ducat. Exitata ambitione et omnium Graecorum gratia proposita, Neoptolemo cessanti persuadet, ut solus in Philoctetis speluncam se conferat; cui valde gàviso summa injuria a Graecis se affectum esse dicit, quare Troja deserta se vela in patriam daturum esse. Quibus fallacibus verbis motus Philoctetes — nam solamen miseris socios habuisse malorum — Neoptolemo socio ac vindici sese committit; quumque ex eo audiverit, Graecorum fortissimos et probissimos viros esse consumptos, pravissimos integros, de deorum injnria iisdem fere verbis, quibus Jobus, conquerens exclamat: [v. 446, sq.]

„ἐπεὶ οὐδέν πω κακόν γ' ἀπώλετο,
„ἀλλ' εὖ περιστέλλουσιν ἀυτὰ δαίμονες·"

cfr. Job. 21,7:

מדוע רשעים יחיו עתקו גם־גברו חיל׃

iisdem fere verbis, deos esse sibi inimicos: [v. 254.]

„ὦ πόλλ' ἐγὼ μοχθηρός, ὦ πικρὸς θεοῖς;"

cfr. Job. 13, 24:

למה־פניך תסתיר ותחשבני לאויב לך׃

quin etiam tantum abest, ut illi intelligant, a diis calamitates esse missas, ut, quae est eorum caecitas, mortem sibi consciscere in animo habeant! [v. 1003, sq.]:

„κρᾶτ' ἐμὸν τόδ' αὐτίκα
„πέτρᾳ πέτρας ἄνωθεν αἱμάξω πεσών"

cfr. Job. 7, 15:

ותבחר מחנק נפשי מות מעצמותי׃

Neoptolemus amicitia simulata Philoctetem consolatus subito per speciem valedicit, nam vento jam secundo quam celerrime in Graeciam ancoras sese soluturum esse simulat. Omnibus precibus per deos immortales Philoctetes eum obtestatur oratque, ut ipsum secum duceret in patriam carissimam ad patrem jam senem! [v. 481 sqq.]:

„τόλμησον, — inquit — ἔμβαλοῦ μ' ὅπῃ θέλεις ἄγων,
„εἰς ἀντλίαν, εἰς πρῷραν, ἐς πρύμνην, ὅποι
„ἥκιστα μέλλω τοὺς ξυνόντας ἀλγυνεῖν·
„νεῦσον, πρὸς αὐτοῦ Ζηνὸς ἱκεσίου, τέκνον,
„πείσθητι· προσπίτνω σε γόνασι, καίπερ ὢν
„ἀκράτωρ ὁ τλήμων, χωλός." —

Et Neoptolemus iste fraudulentus annuit quidem, non, ut eum in Graeciam, sed per dolum Trojam transportaret. Quum Philoctetes maxime gavisus paucis diebus patriam diu desideratam se visurum esse opinans „inimicum amicum in intimam speluncam ducat, explorator ab Ulixe delegatus intrat: delatum se esse ad insulae littora dicens casu quodam, pronunciat; Ulixem a Graecis ex oraculo illo missum esse, qui Philoctetem quendam arcesseret. Nec frustra est haec fraus. Philoctetes enim valde perterritus ipse jam monet, ut quam primum ancorae solvantur.

Haec locutus subito summis dolribus vexatur, ut Neoptolemo arcum suum tradat, ne alius quispiam eum sibi arripiat. Doloribus tandem deminutis fieri non potest, quin Neoptolemus, „optimus optimi patris filius,“ tanta constantia, tanta animi sinceritate et fiducia permotus in intimum pectus descendat: liber confitetur dolosum suum consilium, jamque in eo est, ut voce miserabili petenti arcum acceptum reddat.

Tum Ulixes ipse proruens arcu arrepto minitatur se Philoctetem invitum vi Trojam transducturum esse: sic Jovem jussisse; attamen ipso illo opus non esse, quoniam Teucer sciat arcum intendere, Philoctetes diffidens verbis illis mendacibus — nam Philoctetem ipsum arcessi oraculum jusserat — in speluncam suam sese recipit, ubi pertinaciter restitit Jovis voluntati; neque chori precibus moveri potest, ut deorum praeceptum exsequatur. Quae quum ita sint, Neoptolemus Ulixe frustra prohibente reddit tandem Philocteti arcum et denuo in memoriam ejus revocans voluntatem deorum atque ipsius salutem ex eo petit, ut sponte Trojam sequatnr; sed iterum frustra petit. Immo, Philoctetes persuadet amico, ut in patriam, quo promiserit, naviget. Enim vero tum divino splendore circumdatus conspicitur Hercules, qui Ulixem et Neoptolemum deorum voluntatem exsequi confirmat. Philoctetes quamvis modo verbis pertinacibus obstitisset: [v. 1197 sqq.]

„*οὐδέποτ᾽, οὐδέποτ᾽, ἴσθι τόδ᾽ ἔμπεδον,*
„*οὐδ᾽ εἰ πυρφόρος ἀστεροπητὴς*
„*βροντᾶς αὐγαῖς μ᾽ εἶσι φλογίζων,*“

Hercule jubente libenter obedit, praesertim quum deus vaticinetur, Philoctetem non modo Troja capta summam gloriam nacturum, verum etiam vulnus ejus sanatum iri. Pio igitur atque laeto animo speluncae, littoribus fontibus valedicit et navem conscendit. Tandem in patriam dei auspiciis revertisse Philoctetem Homerus narrat: [Od. III. 188.]

„εὖ μὲν Μυρμιδόνας φάς' ἐλθέμεν ἐγχεσιμώρους·
[v. 190.] εὖ δὲ Φιλοκτήτην Ποιάντων ἀγλαὸν υἱόν." —

Haec est fabula et Jobi et Philoctetis. Neminem esse puto, cui legenti non in mentem incidat, quantopere sint inter se similes fabulae illae.

Jobus non minus quam Philoctetes ornatissimi sunt et pietate et auctoritat divitiisque; uterque eorum foedissimo corporis malo affectus ab amicis offenditur atque decipitur; uterque justitiam dei in dubium vocans malum suum esse commodo negat; ab utroque de vita jam desperante deus conspicitur, cui dicto audiens uterque in integrum restituitur.

Hanc autem similitudinem levissimam tantum esse, neminem, qui paulo attentius perlegerit poëmata illa, effugiet; penitus nobis perspicientibus statim apparebit, sententiam atque stamina in utroque poëmate inter se diversisssima esse, id quod mirare nemo potest, quoniam de rebus et divinis et humanis poëtae valde inter se dissentiunt.

Jam quod attinet ad eam sententiam, quam auctor libri Jobi secutus sit, alius aliam esse dicit. Nostrum igitur est permultas illas opiniones accuratius sine studio et ira inquirere, ne temere anctoritatem hominum sapientissimorum sequamur.

Ac primum quidem Delitzsch*) hanc fere fuisse sententiam auctoris libri Jobi censet: malum esse hominis justi, non tam quod puniat neque corrigat, quam quod a deo, non irascente mittatur, ut hominis pietas probetur, probataque praemio afficiatur. At quonam loco libri Jobi, quaeso, levissime tantum significatur, amorem dei esse mali caussam; quonam loco, Jobi pietatem perfici opus esse: nonne prologus eam integram atque perfectam praedicat?

---

*) cfr. Ueber die Idee des Buches Hiob: Zeitschrift für Protestantismus und Kirche; 1851, S. 65.

Nescio an Ewaldii*) illius opinio probabilior non sit. Is enim confirmat, poëtam voluisse efficere, hominem, nisi patientia et fide animi sui immortalis, malum vincere non posse, et malis hujus vitae ipsis animum majestatis atque aeternitatis suae conscium sibi fieri. At, etiamsi auctor hujus opinionis iis, equi aliud sentire audeant, quasi aqua et igni interdicit, nos quidem intrepide ei repugnabimus: animum malo sibi conscium fieri majestatis, atque aeternitatis, nullus totius libri locus ostendit; immo, Jobus, priusquam Jovae majestatem, suam vanitatem cognoscit, non in dei gratiam redit. Versu autem vicesimo quinto capitis undevicesime:

ואני ידעתי גאלי חי ואחרון על־עפר יקם

de aeternitate animi nihil agi ab omnibus fere interpretibus conceditur, quoniam hoc solo versu de aeternitate animi actum esset; accedit, quod hoc loco, quoquo modo interpretamur, illa intelligi non potest. Vera sapientiam contineri simplici pietate et legali mente scientiaque libro Jobi demonstrari confirmat Baumgarten-Crusius.**) Quin etiam non defuerunt, qui***) libro nostro labores angustiasque Israelitarum descriptas esse opinarentur. Quis autem est, cui non inepte transferri videantur singulae rationes, quae sunt inter Jobum et deum, ad totum Israelitarum populum; nec jure, credo, dici posse, justum fuisse populum.

Valde denique probabilis est sententia Umbreiti†): poëtam libri Jobi sibi proposuisse, ut jus talionis refutet. Nobis autem accuratius perlegentibus statim apparet, non

---

*) cfr. Hiob S. 10 sqq. S. 193; Tübinger Jahrb. 1843. S. 718 sqq. J. D. Michaelis, Einl. ins A. T., S. 23 sqq.

**) cfr. „Libri de Jobo argumenti descriptio“ in opp. theol, 1856 pag. 174 sqq.

***) cfr. Seineke: Grundgedanke des Buches Hiob; Bernstein, in Keil und Tzschirners, Anal. I. 3; Hengstenberg: über das Buch Hiob, S. 36.

†) cfr. Comment. Zum Buche Hiob. —

tam jus talionis libro nostro negatum esse, quam confirmari causam mali esse peccatum.

Quibus omnibus sententiis non sine justa caussa rejectis, nosmet ipsi enucleemus, quid poëta secutus sit.

Et plurimum quidem interest, dilemma, quod inesse videtur in libro Jobi, acute atque subiliter comprehendi. Non in universum de malo disputatur, sed de malo, quo homo justus a deo afficitur. Si tres illi Jobi amici recte disputassent, Jobus, quia summis doloribus vexaretur, summa facinora commisisset. Deus autem ipse Jobum justum nominat. Itaque hoc dilemma exstitit: aut deus est justus, ut hac in vita bonos homines praemiis, pravos poenis afficiat, aut deus est injustus, ut nihil intersit inter bonos et pravos: itaque fides et experientia inter se repugnant. Nam, si deus justus est, fieri non potuit, quin homo impius continuo felix, pius infelix esset; si injustus, deus omnino non fuit. Poëtam tribus diversis modis conatum esse dilemma dissolvere negare non possumus. Ac primum quidem prologo non deus, sed satanas est auctor mali. Deus permittit, ut Jobus re familiari privetur et gravissimo morbo torqueatur: non, ut privatus atque vexatus corrigatur ejusque pietas confirmetur, sed deus — ut ita dicam — cum satana sponsionem facit, utrum Jobi pietas par sit tanto malo ferendo, necne. Quum autem nec ad satanam nec ad mali caussam minime in libro ipso respiciatur, poëtam prologo dilemma solvi non credidisse confiteamur oportet. Idem de epilogo judicandum est; is enim Jobum in integrum restitutum esse et quaecumque rebus antea adversis amiserit, conduplicata a deo recuperasse tradit. Ergo doctrina illa in libro ipso rejecta, bono res bene, pravo male hac in vita procedere epilogo docetur. Quid igitur aliud restat, nisi, ut ex libro ipso dilemma enucleare conemur? Jobus, quamvis superbia praecipue amicorum motus diei natali maledicat, quamvis

summis doloribus pulsus contra deum et homines saeviat, attamen constanter exclamat: (27,6.)

בצדקתי החזקתי ולא ארפה·
לא־יחרף לבבי מימי׃

deum facturum esse, ut res sua bene eviniat, persuasum habet, quare, eum solum se dilemma soluturum esse sperare posse, qui animo demisso dei voluntati se subjecerit, cognosci potest Amicorum orationibus nos edocere poëtae certe non in animo fuit, quippe qui a deo vituperentur, quod perverse locuti sint. Reliquum igitur est, ut dei verba diligentius pervestigemus. Jobum contra amicos recte egisse deus confirmat; vituperat, quod ipsum vel inimicum et tyrannum habuerit. Nec justitiae Jobi ratio habetur, nec juris talionis mentio fit. Divinam praecipue sapientiam Jova premit, quae naturae leges optime instituerit. Quin deus his verbis significaverit, hominem in malis solatium atque animi transquillitatem non, nisi, ex dei sapientia non exploranda, capere posse, dubium non est. Ut tandem libri nostri argumentum paucis comprehendamus, verbis illis*) Davidis uti liceat:

הן־אמרת חפצת בטחות
ובסתם חכמה תודיעני׃

Postquam libri Jobi sententiam, ut nobis quidem videmur, invenimus, quid Sophocles „Philoctete" secutus sit, quantum in nobis est, subtiliter diligenterque perscrutemur; nam nusquam quidquam mihi occurrit, quod omprobare possim.

Jam primum opus esse mihi videtur in quaestionem vocare, utrum Philoctetes a serpente altare Chrysae custodiente vulneratus sit nocens et casu quodam, an ad quoddam quasi arbitrium fati objectus. Nemo, credo, nobis vitio vertet, quod eum non ita sine justa caussa ex indole ac natura sua malo affectum esse dicimus; neque enim

*) cfr. Psalm 51, 8.

saevas cupiditates nec animi ferociam et contumaciam coercere scit. Nihilo autem secius Philoctetem non propter naturam suam solum et indolem tantis doloribus cruciatum, sed etiam fato immutabili malum constitum esse diserte Neoptolemus choro illum miseranti respondens pronuntiat:]cfr. v. 191 sqq.]

„θεῖα γάρ, εἴπερ κἀγώ τι φρονῶ,
„καὶ τὰ παθήματα κεῖνα πρὸς αὐτὸν
„τῆς ὠμόφρονος Χρύσης ἐπέβη,
„καὶ νῦν ἃ πονεῖ δίχα κηδεμόνων,
„οὐκ ἔσθ' ὡς οὐ θεῶν του μελέτῃ
„τοῦ μὴ πρότερον τόνδ' ἐπὶ Τροίᾳ
„τεῖναι τὰ θεῶν ἀμάχητα βέλη,
„πρὶν ὅδ' ἐξήκοι χρόνος, ᾧ λέγεται
„χρῆναί σφ' ὑπὸ τῶνδε δαμῆναι."

Sed etsi ipsa illa calamitas, qua primum affiictus est in Chryse insula, fato inevitabili constitutum est, nobis tamen non est putandum, sponte quodammodo Philoctetem a Graecis in insulam expositum esse, sed quod perturbaret immoderatis illis clamoribus cultum deorum; neque injuste est vexatus tantum temporis. Quamquam enim per decem annos dolores et corpus et animum cruciantes pertulerat, nec pervicacia illius tenax erat fracta, nec fervens in Atridas exercitumque odium ad patientiam et majorem animi lenitatem mitigatum. Nunquam ei iu mentem venit, numen quoddam esse, a quo aliud jus, quam quod ipse sibi finxerit, exerceatur; nondum, quidquid in animo inest nimiae asperitatis ac feritatis pietate et moderatione temperare novit. Nam certior factus a Neoptolemo, fortissimis ipsis Graecis interfectis Ulixem atque Thersitem rebus secundis vivere, in deos contumelias sceleratas confert: „sic oportuisse, ait, quoniam pravos non perire, qui a diis protegantur et ex Orco reducantur; bonos in Orcum deduci. Quo nomine laudandum esse, deos ipsos esse malos." Nec minus Philoctetes animum impium comprobat,

quum salutem et misericordiam petat:*) „videre se, ait, mortalibus, quaecunque faciant, periculosa esse; res enim jam secundas, jam adversas iis accidere. Qui bene beateque vivat, ei cavendum esse, ne a diis pernitiei tradatur;“ unde apparet, nondum ei placere in suum animum intrare penitusque, quae ejus natura sit, pervidere, quippe cui fortuna hominum ab casu et fortuna pendere videatur. Vel ut Invidiam colat Neoptolemo arcum tradens admonet, ne detrimentum capiat.

Sophoclem autem cum Philoctete valde dissensisse, satis habeo pro testimonio afferre versus illos ex Ajace: [cfr. v. 182 sq.]

„δοὺς δὲ σώφρονας
„θεοὶ φιλοῦσι καὶ στυγοῦσι τοὺς κακούς·“

qui eo graviores et majoris momenti sunt, quod ab dea recitantur. Non fortunam secundam dii hominibus invident: puniunt superbiam prospera fortuna inflatam; nam longe abest, ut insolens semet ipsum cognoscat, quod est modestiae ac verecundiae; itaque in promptu est, illum, si quid acciderit, non se, sed deorum invidiam accusare. Hoc errore censeo Philoctetem captum esse, atque tantum abest, ut eum arcus, qui nunquam a scopo aberrat, deminuat, ut confirmet augeatque. Quum Ulixes minetur, Philoctetem vi deducturum se esse, vehementer ille conqueritur: [v. 1020 sq.]

„ἀλλ' οὐ γὰρ οὐδὲν θεοὶ νέμουσι ἡδύ μοι,
„σὺ μὲν γέγηθας ζῶν, ἐγὼ δ' ἀλγύνομαι,“

quae sententia eum impedit, quominus in deorum, ut ita dicam, familiaritatem intret; neque quidquam, nisi ut inimici sui puniantur, a diis petit. Choro autem a diis calamitates esse missas et Ulixem eorum voluntatem sequi confirmanti fidem non habet. Quumque tandem chorus abiturus Philoctetem admoneat, ut sequatur, ira excan-

---

*) a Neoptolemo, cfr. v. 501 sqq.

descens ac ne maledictis quidem parcens exclamat magna voce: [cfr. 1197 sqq.]

„οὐδέποτ', οὐδέποτ', ἴσθι τόδ' ἔμπεδον
„οὐδ' ἐι πυρφόρος ἀστεροπητής
„βροντᾶς αὐγαῖς μ' εἶσι φλογίζων"

Quae locutus Trojae omnibusque, qui effecerint, ut exponeretur, maledicit et ad summam omnium rerum inopiam redactus, sed maxime constanter, in speluncam suam sese recipit. Tum Neoptolemus mutato animo reversus ei arcum antea captum reddit ex animi sententia suadens, ut diis obsequatur neve salutem repudiet. At quo eventu non nescimus: Philoctetes mavult sanus non fieri, quam Atridis opem, Graecis salutem, diis pium animum ferre! Quod jam illis crascens deorum praecepta identidem aspernatur, necessitatem fatumque contemnit, omni culpa eum solvere non licet: quum plus semel ei indicata sit Jovis voluntas, ne ignorantiam praetendere possit, attamen admirabili pertinacia in sua voluntate insistit, ut quum sua sponte diis non obsequatur, coactus obediat necesse videatur; quod quidem non ita aspere evenit, sed saluti est coacto. Philoctetes enim non animi pravitate labitur, sed magno errore, deos nihil aliud, quam ipsum velle, neque quidquam jussuros esse, a quo toto animo abhorreat. Tantus erro capi non potuit, nisi contumacia et superbia nimiae fiduciae sui juris. Ac revera quidem hoc jus quodammodo suum esse, ut est hominum saltem judicium, negari non potest. Num socii recte fecerunt, quod Philoctetem non modo non domum dimiserunt, sed deorum poenam, siquidem in hanc partem acceperunt, augebant? Nonne consentaneum est, Philoctetem tanta injuria ductum, cujus aculei penitus in animum penetraverant, tantopere abhorrere, ut, quantum animi robore contendere potest, maxime constanter reluctetur, ne cum iis, qui sint inimicissimi, denuo conjungatur? Philoctetis calamitatum, quas de Graecis certe non meruerat, nos miseret; gravissima poena culpae, in quam

omnes nos iisdem rebus facillime incidimus, timenda videtur. Veniam et remissionem poenae ex diis petimus, et dant veniam quasi jus quoddam humanum probant. Videlicet sunt fata non revocanda, neque ulla re circumscribi potest, quominus ad effectum adducantur; sed quo modo perficienda sint, est penes deos: non luctando Philoctetem prosternunt, sed tantum debilitant. Hac ex causa dii inimicorum dolum atque vim irritum reddunt, ne valde sollicitus etiam majore contumelia afficiatur, ne corporis vulneri vulnus animi addatur quod ei, qui corporis vulnus constanter perpetitur, dummodo animi libertatem servet, etiam magis doluisset, quam illud. Itaque dei, quae est eorum clementia, rati deo amico rem melius cessuram esse, quam homini, Heculem mittunt intercessorem, ut contumaciam Philoctetis, qui culpam jam satis luit, frangat. Emergendum ei esse, ait, ex malis ad splendorem gloriamque. Ac praecipue Herculi verbis: (cfr. v. 1421 sq.)

„καὶ σοί, σάφ' ἴσθι, τοῦτ' ὀφείλεται παθεῖν
„ἐκ τῶν πόνων τῶνδ' εὐκλεᾶ θέσθαι βίον,“

quibuscum Neoptolemi sunt conferenda (cfr. v. 191 pag. 22), sententiam „Philoctetis“ intelligendam esse persuasum habeo.

Fato enim erat constitutum, ut Philoctetes a Troja retineretur, ne arcu suo invicto prius illam caperet; itaque in insula illa a serpente vulneratus erat, quod tamen neutiquam ei injuste accidisse jam supra demonstravimus: fato non minus quam hominis ipsius culpa cujusque fortuna constituitur. Philoctetes summis rebus reservatus erat, et fatum ejus vulnera quamvis merita sanavit eumque gravissimis honoribus ornavit. Qua quum clementia Philoctetem tractent dii, de quorum justitia dubitasse illi haud summo vitio vertendum est, ejus constantia in doloribus tolerandis et jus quoddam humanum resistendi amicorum voluntati quasi probatur; praesertim qum tan-

dem numini saltem ei obediendum et ira odiumque contra suos inimicos saluti communi remittendum sit.

Quantumvis inter periclitantem salutem publicam ac non injustam cujusque voluntatem inter sit: dii differentiam illam semper recte compensant sive cum salute hominum sive non sine pernitie.*)

Haec fere est sententia, quam Sophocles „Philoctete“ est secutus; non eo consilio, ut hanc sententiam ad vitam revocet: neque enim finis quidam extrinsecus allatus poëtam incendit, sed jam trahit „furor ille divinus,“ qui pectora afficit percutitque, quippe ex intimo pectore profectus. Hac ex fabula Philoctetis satis perspicere possumus, quae fuerit Sophocli sententia de rebus et divinis et humanis, ac pretium operae quidem esse sententiam illam accuratius exponere persuasum habeo, ut intelligamus quantum inter sit quum inter sententiam Sophocli et poëtarum prioris temporis, tum inter sententiam Sophocli et veteris Testamenti scriptorum.

Antiquissima Graecorum sententia de rebus divinis et humanis haec fere est: initio fuit chaos, ex quo primum mundus, deinde dii atque homines orti sunt. Non autem casu quodam omnia sunt orta, sed certa lege necessitateque, cui vel diis parendum est, quippe qui ipsi creati sint. Hanc legem uuiversalem, hoc fatum veteres nominabant „εἱμαρμένη, πεπρωμένη, ἀνάγκη.“ — Consilio ac prudentia Jupiter rerum potitur; nihilo autem secius est illius potentia non omnipotentia, scientia non omniscientia: necessitas vel fatum regit fortunam deorum hominumque lege immutabili; quod constitutum est, mutari non potest. Quae quum ita sint, Jupiter identidem lege universali violata gravi poena afficitur.**)

---

*) cfr. Sophocli „Antigone,“ „Ajax“ etc.

**) cfr. Hesiod. Th. v. 775—806. —

Homeri poëmatis fatum non jam tantopere premitur: Jovi esse summum imperium videtur, Jovis voluntas regit mundum
et gravioribus rebus hominum actiones; attamen haud raro fatum ipsum consilia sua immutabilia exsequi cogitur.*) Fatum est non jam lex physica, sed ethica: poena sequitur culpam, nam justitia est ipsa necessitas. Jovis voluntas est fati, nec fieri potest, quin aliud constituat Jupiter, aliud fatum. Quare uxor ejus est Themis, filiae sunt Moerae, quarum est legem illam universalem custodire atque servare. Haec fere fuit sententia vulgaris usque ad Sophocli tempus. Sophocles enim multo superavit popularem intelligentiam de natura deorum, abjecta vulgi opinione, neque quidquam antiquius habuit, quam ut falsam deorum sententiam corrigeret vel summoveret. Et praecique quidem laudandns esse mihi videtur, quod vitam hominum arctissime conjungat cum diis, qui non solum sontibus malum et calamitatem mittant, verum etiam insontibus: illis, ut quae est justitia, scelera commissa luant; his, ut voluntatem suam deis snbjiciant et mente pia ac modesta deorum gratia fiant digni. Itaque nihil esse absurdius docet, quam si quis rebus male gestis felicitatem veram sibi conquirere velit; nam male inceptum quam celerrime malum exitum sequi**). Sin vero quis rem justam susceperit summis cum periculis, summa fortuna adversa posse boni animi esse: justa enim re hominem debilem victoriam reportaturum esse de fortissimo;***) utique honestius esse re justa vinci, quam injusta vincere.†)

Quamvis haec Sophocli sententia sit admiranda, quamvis Hesiodum et Homerum superet, — multo tamen auc-

---

*) cfr, Il. II. 155 XVII. 321. etc. —

**) cfr. „Electra“ v. 1009.

***) „Oed. Col.“ v. 817.

†) „Phil.“ v. 94. sq. —

toribus veteris Testamenti posthabendus est, quod omnibus suis fabulis doceat atque comprobet, nunquam, quae facta sint, posse expiari: itaque non minus esse stultum de rebus factis conqueri, quam de futuris timere praesertim quum nemo effugere possit ea, quae fati necessitate destinata sint. Quare hoc in mundo beatitudinem nec acquiri nec rcperiri posse, neque quemquam ante mortem beatum esse laudandum. Etiamsi quis rebus secundis vitam degat, hanc ob rem beatum eum non praedicandum esse: subito res secundas in adversas saepe converti. Comparantes nos Graecorum sententiam fati cum sententia veteris Testamenti, et praecipue quidem Jobi, non effugit, maximum inter esse inter justitiam ac talionem dei Israëlitarum et Graecorum fati. Deus enim veteris Testamenti homini non constituit poenas, quas justitia ac vita pia subterfugere non possit; immo, quae est ejus misericordia, summo amore amplectitur eum, quem piget impietatis et improbitatis; quin etiam poena satis merita eum non afficit.*) Neque quemquam deus, ut contra legem suam agat, impellit nec praestringit cuiquam aciem animi: cuique inest facultas libere agendi; non igitur necessitas fatumque illud coërcet vel delet hominum libertatem.

Deus Israëlitarum non solum malos homines eorumque liberos ulciscitur, verum etiam omnes omnium bonorum posteros beneficiis cumulat; sed nunquam liberi aut poena aut beneficiis afficiuntur immeriti.**)

Quantum inter est inter deum veteris Testamenti et Jovem Graecorum! Jupiter pravis hominibus immisit haud minores poenas, quam deus, vel genus totum eorum extirpavit, at profecto bonos eorumque prolem beneficiis divinis usque ad sexcentesimam stirpem gavisuram esse. Jupiter plane nescivit.

---

*) cfr. Job. 8, 5. —

**) cfr. I. Sam. 2, 31. cum 2, 22., 3, 13. — cfr. Gen. 15, 18. cum 18. 19. etc. —

Postquam in universam discernimus de fato et Graecorum et Israësitarum, restat, ut exponamus, fieri non potuisse, quin, quae erat fati sententia ambarum gentium, disposito „Philoctetis“ et „Jobi“ maxime sit diversa.

Ac primum quidem conferentes nos sententias ambarum fabularum effugere non potest, valde illas inter se esse diversas: quum Philoctete comprobetur, deos hominem unumquemque sive sontem sive insontem communi saluti tradere neque effugium esse fati immutabilis, poëta Jobi docet, deum summa sapientia constituisse unum quodque non minus quam universum mundum, et hominem suo arbitrio, sua agendi ratione aut felicem aut infelicem esse.

At satis mihi multa verba fecisse videor de sententia: fortunam jam sortemque Philoctetis et Jobi, ipsorum quomodo uterque sese gerat et tandem restituatur, perspiciamus. Ut Philoctetes ex patria Trojam profectus in via retineretur, jam dudum a Jove constitutum erat. Nam quum urbs illa jam semel, nisi per Herculem, capi non potuisset, tum iterum, nisi ejus arcu, quem Philocteti dederat, captura non erat decem annis post. Necesse igitur erat, Philoctetem tam diu ab urbe retineri, quam propter causam morbo illo mortali, etsi non sine ulla culpa, capiebatur: (cfr. v. 191 sqq.)

„θεῖα γὰρ
„καὶ τὰ παθήματα.“

Mirari igitur non possumus, quod vexatus doloribus, quam quos homo ferre valet, gravioribus, ipse mortem sibi consciscere, amicos interficere velit, deos ipsos nominet sibi inimicos; quin etiam, quamquam Neoptolemus pronuntiat, a diis esse constitutam hanc sortem, vehementissime repugnat, quominus cum Neoptolemo Trojam proficiscatur. Tum demum, quum ex Hercule ipso illud confirmante audiverit, Philoctetes voluntati numinis sese subjicit, tametsi caussam dolorum minime perspicit. Hoc ipsum est, cur nec sincera ac vera poenitentia nec desi-

derium dei ex intimo pectore eum capere possit, id quod fieri non potuit, nisi fide dei illius unici.

Eadem fere quam Philoctetis sors est Jobi; finis autem morbi est diversissimus, quod gravissime est premendum, praesertim quum hac ipsa re diversa fati sententia optime cognoscatur: Philoctetes morbo affectus est, quod, quae erant res externae, necesse erat; Jobus, ut ejus pietatis confirmaretur, superbia frangeretur, animus totus ad deum verteretur. Non morbo doloribusque ductus in scelerata illa verba erumpit*), sed quum amici de ejus justitia dubitent eumque quasi gravem peccatorem vultibus plangant, tum demum die excrato dura verba contra deum hominesque facit et vel in se ipsum furit saevitque. Verum tamen interdum ad se redit exclamans, certe se aliquando liberatum iri a deo innocentia sua aperta. Primum praecipue vehementer deo maledicit, paullatim vero violentas querelas continet; postquam tandem Jova ipse nubibus velatus visus est et omnipotentiam suam sapientiamque probavit, Jobus: „quae ego exposui, inquit, non intelligebam, et majora sunt, quam pro captu meo, miracula. Itaque mihi displiceo, meque humi in pulvere poenitet.“ Non frustra Jobus in morbum inciderat, non frustra amici eum irritaveruut: superbia ejus plane erat fracta, fiduciam posuit ex intimo animo in dei non exploranda sapientia.

Nec minus quam in Philoctete et in Jobo ipso diversissima illa fati sententia ducet eorum amicis.

Ulixes primis versibus sese excusat, quod Philoctetem exposuisset; se jussum esse a diis, ne saevo clamore sacrificia ille perturbaret. Sed quoniam Troja nisi Philoctetis auxilio capi non potest, a Neoptolemo petit, ut dolosis verbis ilum decipiat, nam: (v. 83)

„*νῦν δ' εἰς ἀνειδές,*“

quod minime esse improbum opinatur, si res poscat; nam

---

*) cfr. 2, 10.

eundem, qui jam versutus atque callidus sit, jam probum et diis gratum esse posse,*) quippe qui auctores sint calliditatis**) suae. Versibus sequentibus Philocteti querenti, ad malum modo perferendum se natum esse, respondet Ulixes deos defendens: (cfr. v. 997.)

„οὐκ, ἀλλ' ὁμοίους τοῖς ἀρίστοισιν, μεθ' ὧν
„Τροίαν σ' ἑλεῖν δεῖ καὶ κατασκάψαι βίᾳ"

quibus verbis Ulixeï satis licet perspicere, quae de fato diisque senserit. Dispositione et fabula „Philoctetis" poëta coactus erat Ulixem hanc ipsam sententiam sequentem facere, sed quod Jobi amici longe aliam secuti sint, cui mirum est? Haec enim fere est amicorum Jobi sententia: peccata et mala tamquam ad trutinam inter se pendi; ergo quemque hominem non magis esse bonum quam beatum. Itaque Jobum gravissime affectum foedissimis sceleribus pollutum esse opinantur. Si quis rebus adversis se integrum esse dicat, eum culpam suam dissimulare et pietatis speciem temere prae se ferre. Hanc vero sententiam vulgarem esse inde apparet, quod scriptor a tribus quasi causidicis eam curavit defendendam.

In hoc autem amici cum vulgo errant, quod peccandi et originem et naturam rudius et levius accipiunt, eam malorum rationem sequentes, ut singula singulis peccatis constitui putent. Quod quum ita sit, jam non miramur, quod amici neque Jobi abjectum animum erigere valent, et misericordia plane exuti argumentis inanibus eum obruunt et prope opprimunt. Misericordia autem abundare nequit, nisi qui ipse acceperit, neque accepit, nisi qui ipsum peccatorem esse intellexerit. Sic verba dura ex duro proficiscuntur pectore. Amicorum sermones accuratius nos perscrutatos non fugit, veri aliquantum in iis inesse; quamquam in eo potissimum peccant, quod

---

*) cfr. v. 1049 sq. —
**) cfr. v. 990. —

sensum latiorem ad hanc Jobi conditionem inepte transferunt. Namque recte vident, mala ex peccatis certissime nasci, sive ut Apostoli dicto utar, peccare esse hominibus perniciei. Verum in hac re non tam ad singula facinora, quam ad totam perversam hominis naturam spectandum esse apparet. Neque scriptorem ipsum amicorum sermones prorsus falsos aut commentitios effingere voluisse, tum ex lato potest cognosci campo, in quo vagantur, tum quod cum studio quodam elaborasse eos videtur. Amici quamvis eadem sententia eodemque consilio utantur, tamen non eodem modo rem agunt, sed suam quisque rationem sequitur. Maxime inter eos haud dubie excellit Eliphas, qui amicos altercando praeit. Primo cautius Jobum refellere et tritos sensus magnificis verbis horribilique visu obtegere conatus quum ille sententiam suam obstinarit, jam altero actu haud amplius miserum consolari, sed superbientem studet repellere. Experientiam suam laudat, qua edoctus mali bonique caussam et finem satis perspectum habeat. Tertia denique altercatione missis ambagibus ad locos communes se recipit. „Quid, inquit, quod te innocentem et insontem esse gloriare? Etenim deus neque pietate tua augetur ac tollitur, neque tua opera a scelestis viris servari et defendi potest. Ergo ob nihil aliud, nisi ob infinita et turpissima crimina tua tam foede puniare necesse est.“ Multis deinde enumeratis peccatis sceleribusque, quae ab Jobo committi hallucinatur, identidem, ut ad deum optimum oculos animumque convertat, pertinaciam omittat, culpam fateatur, Jobum admonet. „Deprimuntur enim, inquit, quos tu dicis elatos, conservantur modesti. Quodsi tu ad deum reverteris, quam rem decreveris rata erit, tuasque vias splendor fortunae illustrabit.“ Eliphas igitur in eorum numero est habendus, qui experientia sua, quam dicunt, nisi et nimia sui admiratione tumidi neque ad aliorum sensus se accommodare sciunt neque sibi repugnari patiuntur. Immo ubi

auctoritatem suam vident periclitantem, vel calumnias mendaciaque in medium proferre nihil dubitant.

Bildadus Suhita vir magis strenui animi videtur esse, et quo minore instructus est ingenio, eo majore in sententia sua pervicacia permanet. Deum justum esse neque injusti quidquam agere, summa est ejus ratio, ad quam semper recurrit. Patrum majorumque sapientiam collaudat temporibus probatam, et in Jobum invehitur, ut qui novas res moliatur. Jam postrema altercatione non ita habet, quod contradicat; sed ex sermonibus, qui antecedunt, plurima mutuatur repetitque.*) Itaque non tam malignus aut hypocrita, quam angusti et pusilli animi potest dici. Sophar denique tamquam umbra horum vestigia temere sequitur. Ruminat — ut ita dicam — dumtaxat, quae modo a ceteris audivit; ideo verba facit, quod amici fecerunt. Quodsi solus apud Jobum fuisset, certe querenti Jobo succinentem eum audiremus. At vocem populi dei vocem opinatus, ipse impudentissime prae omnibus latrat. Quum se Jobo in altercando inferiorem sentiat, tumidis verbis conviciisque conatur illum obtundere. Quid jam inanius, quid miserius potest legi, quam istud Sopharis: „num Jobum, aït, censere, verbosum atque effutientem recte solum dicere? qui purum se esse in conspectu dei glorietur! Ei facile a deo persuaderi, quam inanis sit integritas hominum. Mortales dei sapientiae perspiciendae et dijudicandae pares non esse; mimis abhorrere dei omnipotentiam ab hominum imbecillitate. Si vitiositatem removisset Jobus, vultum aperte atque intrepide ad coelum tollere posse.“ Altero actu Sophar, qum respondendi facultatem vix se posse opperiri jactat, tertio jam plane tacet neque habet, quod amplius in lucem edat.

Nonne suo jure Jobus cum talibus amicis sic cavillatur: „nae vos viri, et vobis defunctis morietnr sapientia.

---

*) cfr. 4, 17. sqq.: 15, 22 sqq.: 11, 7. sqq. —

Etenim vos, qui valetis, facile meum malum contemnitis nihiliqui ducitis.“ Nil minus quam solâtium attulerunt, immo insulsis verbis Jobi aerumnas tantummodo auxerunt. Necesse autem est, ut justitia dei omnino agnita Jobus in ipsum quoque juste ac sapienter agere deum concedat. Cujus rei defuit huc usque opportunitas, ne Jobi conversio praeceps properataque videatur. Constat enim, neque Jobum superbiam suam libere esse dimissurnm. Novo igitur eoque graviore incitamento opus est, quod Jobi pertinatiam prorsus devincat atque infringat.

Surgit Elius Buzita, quem nunc vociferantem introducimus. „Ego natu minimus, inquit, vos grandiores estis, quae fuit caussa, ut dubitarim vobis aperire sententiam; non autem grandaevitatis, sed eorum est recte dicere, qui afflatu divino aguntur. Neque vero est, cur dicatis, vos ideo non contradicere, quod satis jam a deo prematur malis, ne sit insuper oratione vestra vexandus. Immo ideo non refellitis, quia estis indocti. Quare mea verba attento animo percipias velim. Dixisti sane me audiente, licet a peccatis et culpa purus mundusque sis, deum infeste in te egisse. Injuste quidem istud, ut tibi contradicam. Nam si major est homine deus, cur cum eo contendis, qui nullius rerum suarum rationem tibi reddat? Semel locutus deus, quum animum minus adverteris, iterare scit. Somno gravi hominibus obducto aures nocturno visu patefacit, ut eos a facinore ducat superbiamque e conspectu summoveat. Morbis acribus subito immissis homines deus optimus castigat et tentat, quibus admoneantur, ne unquam mali sollicitationibus indulgeant, sed tanto firmius deo confidere discant. Quodsi angelus eorum, qui homini viam monstrent, pro misero intercedit, ignoscit deus morte condonata jam contentus malis, quae homo perpessus est.“

Quum Jobo non sit, quod contradicat, Elius pergit: dicit Jobus sibi in suo jure injuriam fieri et queritur se

insontem opprimi, quod cum deo certet tanto inferior. Absit, ut injustus et iniquus sit deus omnipotens, quin homines pro meritis remuneratur. Namque qui nobis terram dedit et vitam, si utrumque adimat, non facit injuriam. Deum justum esse oportere, inde apparet, quod omnium rerum est gubernator. Quum eundem se praebeat erga locupletes atque tenues, in eos pari animadvertat modo necesse est, quia, quid egerint, cognitum habet. Jobus meliorem, credo, rerum ordinem potest constituere! Volo eum, ne denuo in deum peccet, jugiter poenis affligi.

Quod autem tu dicis, ex nequitia idem prodire commodum, atque ex pietate, deus, qua est magnitudine, nec vitio tuo afficitur, sed in solius hominis caput utrumque recidit. Quum multarum vi et injuriis opprimuntur homines, clamant illi quidem et quiritantur, sed non se ad deum toto pectore convertunt, qui laetitiam in rebus tristibus conciliat. Enimvero quamvis, ut dicis, visurus eum non sis, est tamen apud eum juris obtinendi locus, modo eum exspectes. Homines, quum in vincla conjiciuntur et miseriae laqueis adstringuntur, deus superbos eos factos esse ex facinoribus delictisque comprobat, ut aures patefaciant cohortatione convertantque se a maleficio. Sin obediunt atque obsequntur, bene et eleganter transigunt annos suos, si minus, imprudentes intereunt. Te quoque ex anjusto eripiet, ita ut dives fias et quietus, sed si injusto judicio fungeris, te judicium et jus tenebunt. Cave, ne convertas te ad nequitiam, qnod eam pro miseria approbes, verum cum aliis deum extollas imbribus, fulmine, tonitru magnitudinem suam ostendentem. Miseria miserum emendat et rebus angustis aures aperit.“ His verbis summa continetur Elii sermonum. Conciliatur tamquam inter deum et Jobum intercedit, sicut nomen jam significat: hic deus! Magno opere sum admiratus,

quod celeberrimi, doctissimi, de sacrae scripturae interpelatione meritissimi viri Elii sermones a re alienos et subditicios judicaverunt. Nam quis neget, quaestionem propositam his potissimum sermonibus ad sublimiorem solvendi rationem provehi ac produci, ita ut iis excisis aut commutatis totius libri vera sententia nullo modo perspici possit?

Elius vero, quamvis cum Jobi amicis consentiat, in omnibus malis peccatorum poenam esse cernendam, tamen probi hominis castigationem, qua a nimia sui elatione coerceatur et ad altiorem probitatis pietatisque gradum evehatur, ab improborum poenis discerni vult. Jam qui summa sapientia et omnipotentia exornatus sit, eundem justum et aequum esse oportere. Virtutes enim dei tamquam radios ex eodem quemque loco proficisci, ita ut omnes eodem fulgeant splendore.

Apparet denique Elii sermones eodem fere nomine fungi, atque chori carmina apud Graecos. Quemadmodum enim chorus agentes cantu et consortione ab animi intemperantia avocare, ad rectam modestiam redigere studet,*) sic Elius quoque Jobi superbiam reprimit, maturat conversionem. Jam chori loco recentiores poëtas notissimum est personae ipsius soliloquia instituere, quibus homo sua quidem deliberatione et recti conscientia cuique insita corrigatur. Ita medium quiddam est in Elii munere tum chori tum soliloquii. Solet quidem fere apud Graecos chorus ex ejusdem aetatis generisque, ac primarum partium actor, personis constare; verum tamen sicut in Antigonae tragoedia chorus non indoctarum virginum, sed

---

*) cfr. Hor. de arte poët. v. 196. sq.
„Ille bonis faveatque, et consilietur amicis;
„Et regat iratos, et amet peccare timentes."

expertorum senum est, qui in gravibus illis Antigonae rebus optimi consulant, ita in Jobi libro Elius juvenis intercedit, qui juvenili quadam perorandi concitatione tenacem Jobi animum frangat percellatque. Constat vero in rebus divinis experientiam prudentiamque non esse grandaevitatis sed spiritus. Ideo autem Elii sermones soliloquii similes sunt, quod unus est et tacente Jobo ex ejus intimo pectore disserere videtur. Namque quum Jobus dei justitiam antea omnino laudasset, in se quoque ita fieri tacite concedere eum oportuit. Quod quominus verbis profiteretur, et superbia et praesentes amici prohibebant; vere jam animo sensisse eum, silentium comprobat continuum.

Quamvis igitur — ut jam supra demonstravimus — similes inter se esse videantur, tamen multum interesse inter „Philoctetem“ et „Jobum“ apparet, si ad personarum sensuumque indolem respicimus: Philoctetes casu patitur, Jobus dei consilio optimo malis tentatur; Philoctetet inimicos adjuvare indignatur, Jobus probitate sua nimis nititur; illum Ulixes et Neoptolemus amicitiam simulantes postremo bono exuere conantur, hunc benevoli amici quamvis praepostere consolari; ille de utilitate et indulgentiae commodo, hic de summis rebus humanis edocetur; illi denique Hercules praedam gloriamque rerum bello gestarum praemia pollicetur, hunc deus optimus tum malis corporis liberat vitaeque bonis coronat, quum ad veram animi tranquillitatem perducit!

Nonne facile jam perspici potest, quanto ἦθος Philoctetae dramatos vi Jobi inferius sit; nonne quodque Graecorum drama vim inferiorem exercere necesse est, quam Jobum propter sententiam illam ipsam maxime diversam de rebus et divinis et humanis? Quamvis sit admirandus Sophocles: „Jobum“ certe componere non potuit.